

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XCIX. Continens Actiones Ultimi Diei, In Festo Tabernaculorum.
Johan. 7. v. 37.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

ferentur, longe firmius eum, quam hæc turba Christum agniture essent. Nam 4. qualis fuit hæc fides? Profecto valde infirma. Etenim neque ipsius personæ, neque officii ejusdem veram & solidam cognitionem habuerunt. Addit hoc magnam consolationem infirmioribus, quod Christus hos ob infirmitatem illam non abjecit. Hoc enim Jesaias de ipso prædixit: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, Jes. 42 v. 3. Prima itaque fidei initia & rudimenta per spiritus sui gratiam quotidianis incrementis auctiora reddit, & facit, ut semen hoc sinapis excrescat in magnam arborem. Luc 13. v. 19. Temerarii itaque & ipso Christo severiores iudices atque

censores sunt illi, qui omnium fidem contemnunt, & quasi nihili faciunt, nisi cum adversariis super ea contendere, eamque adversus contradicentes omnes defendere possint. Interim tamen hi ipsi infirmi in Judæorum turba, fidem suam publice professi sunt, licet Phariseorum & Pontificum odium, quo Jesum extinctum cupiebant, non ignorarent. Hanc enim veram fidei notam Paulus ponit: ut quis ea, quæ corde credit, etiam ore confiteatur. Rom. 10. v. 9. Hoc cum Sacramentarii non faciunt, sed plerique fidei suæ confessionem accommodant, ad nutum illorum hominum, quibus convertantur: vel hoc unicum indicium esse debet, ipsos de fide sua non plane certos esse.

CAPUT XCIX.

CONTINENS ACTIONES ULTIMI DIEI,
IN FESTO TABERNACULORUM.

JOHAN. 7. v. 37.

RATIO ORDINIS.

DE ratione ακολουθίας & consequentiæ prorsus nulla hic potest esse dubitatio, proinde textus mox apponatur.

HISTORIA ACTIONUM ULTIMI DIEI IN FESTO
SCENOPEGLE.

- | | |
|---|---|
| 37. Ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῆ μεγάλης τῆ εορτῆς εἰσήκει ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκράζει, λέγων· εἰς τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρὸς με, καὶ πινέτω. | 37. In novissimo autem die magno festi stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me & bibat. |
| 38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆ κοιλίας αὐτοῦ ῥευσσῶσιν ὕδατος ζῶντος. | 38. Qui credit in me, sicut dicit scriptum, flumina de ventre ejus fluent aque vive. |
| 39. Τὸ τοῦτο εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, ὃ ἐμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἀγίου, ὃ ὁ Ἰησοῦς ὠδέπω ἔδοξά αὐτῷ. | 39. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in ipsum. Nondum erat Spiritus sanctus, quia Jesus non erat glorificatus. |
| 40. Πολλοὶ ἐν ἐκείνῳ ὄχλῳ ἀκούσαντες τὸ λόγον, ἔλεγον· ἴσως ἔστιν ἀληθὴς ὁ ποροφήτης. | 40. Multi ergo de turba cum audissent hunc sermonem dicebant. Hic est vere Propheta. |
| 41. Ἄλλοι ἔλεγον· ἴσως ἔστιν ὁ χριστός· ἄλλοι δὲ ἔλεγον· μὴ γὰρ ἐκ τῆ βασιλείας οὗτοῦ χριστοῦ ἐρχεται; | 41. Alii dicebant: hic est Christus. Quidam autem dicebant: num a Galilea Christus venit? |
| 42. Οὐχί ἡ γραφή εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ, καὶ ἐκ Βηθλεέμ, τῆ κώμης, ὅπου λέγουσιν Δαβὶδ, ὁ χριστός ἐρχεται; | 42. Nomen scripturæ dixit: quod ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erit David, Christus venit? |
| 43. Σχίσμα οὖν ἐγένετο ἐν τῷ ὄχλῳ ἐνεκ τούτου. | 43. Dissensio itaque orta est in turba propter eum. |
| 44. Τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν παῖσαι αὐτόν, ἀλλὰ οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτόν τὰς χεῖρας. | 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo coniecit in eum manus. |
| 45. Ἦλθον οὖν οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ· ἐκείνους λέγουσιν· τίς ἐστὶς ὁ υἱοῦ τοῦ Ἰωάννου; | 45. Venerunt ergo ministri ad pontifices & Phariseos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxisti illum? |
| 46. Ἀπεκρίθησεν αὐτοῖς λέγων· οὐδέποτε ἔτις ἐλάλησεν αὐτῷ, ὡς εἶπεν ὁ ἄγγελος τῆς προφητείας. | 46. Responderunt ministri, nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. |
| 47. Ἀπεκρίθησεν αὐτοῖς οἱ Φαρισαῖοι· μὴ καὶ ὑμεῖς πεπαιδευμένοι ἐστέ; | 47. Responderunt ergo eis Pharisei, num & vos seducti estis? |
| 48. Μὴ τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἠπίστευσεν εἰς αὐτόν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; | 48. Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariseis? |
| 49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, ὃν οὐκ ᾔσκατον τὸ νόμον, ὁπτατεύεται αὐτόν. | 49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, execrabilis sunt. |
| 50. Λέγει Νικόδημος πρὸς αὐτούς, ὁ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτόν, εἰς ὧν ἐξ αὐτῶν. | 50. Dicit Nicodemus ad eos, is qui venerat ad eum nocte, qui unus est de numero eorum. |

51. Μη ο νόμος ἡμῶν κρίνει τὸ ἀδίκον, ἐὰν μὴ ἀκούσῃ
 πρὸς αὐτὸ τὸ πρῶτον, καὶ γινῶσι πρῶτον.
 52. Ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον αὐτῷ· μή καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας
 εἶ; ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἰσθμὸς ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἰς
 Ἱερουσαλὴμ.
 53. Καὶ ἐπερὲν τῆς ἐκείνου· εἰς τὸ οἶκόν αὐτοῦ.

51. Num lex nostra iudicat hominem, nisi prius ab ipso au-
 dierit, & cognoverit, quid faciat?
 52. Responderunt & dixerunt ei: num & tu Galileus es?
 Scrutare, & vide, quod à Galilea propheta non surre-
 xit.
 53. Et profectus est unusquisq; in domum suam.

Periocha huius Historia.

Tabernaculorum festum ex Dei mandato
 Levit. 23. v. 34. septem diebus continuis ce-
 lebrabatur. Primus dies fuit celeberrimus &
 sanctissimus: octavus itidem, qui & ἡμέρα, id
 est, dies retentionis & congregatio valida diceba-
 tur: quia eo die populus prohibebatur à labore, &
 congregari iubebatur ad celebrandum festum
 Domino. Sex igitur intermediis diebus popu-
 lus etiam negotiis huius mundi & voluptatibus
 vacabat. In primo autem & octavo necesse erat,
 ut congregarentur in templo, interessent sacris,
 audirent legem à Scribis prælegi, & sacrificia, quæ
 adduxerant, offerrent. Hic vero videbimus,
 quomodo in sanctissimo illo die, in loco sancto
 inter se decerent Christus & diabolus, veritas &
 mendacium, Dux vitæ & spiritus homicidii. Chri-
 stus enim suo loco hanc occasionem captavit, ut
 eo tempore, quo cæcus auditorium esset nume-
 rosissimus, quo item omnes de reditu cogitabant,
 ut ultimum hunc & eximium festi diem eximio
 etiam sermone terminaret, sicque iter ingressuris
 salutare viaticum Evangelicæ doctrinæ commu-
 nicaret. Contra vero Diabolus sua membra
 instigavit, ut nulla sanctitatis festi habita ratione,
 de perpetranda cæde Jesu consilia agerent. Pub-
 lici enim ministri ultimo festi die jam plane se ô-
 perari accinxerant, Jesum comprehensuri. Princi-
 pes quoque Judæorum & Pharisei in Synedrio con-
 gregati erant, expectantes ut adduceretur, ne fi-
 nito festo elaberetur. Sed ecce, sola concione
 Christi, cum quidem tum temporis nullum ede-
 ret signum, impetus ille in ministris ita fractus est,
 ut reverſi agnoscerent & confiterentur, sensu
 divinæ efficacæ verbi Christi fractos fuisse, ut
 comprehendere eum non potuerint. Et ita quide-
 m tunc Christus solo verbo horribiles conatus
 adversariorum discussit.

Duas tamen circumstantias de modo, quo
 Christus hanc concionem habuerit, Evangelista
 adjicit. 1. *Sambat Jesus*, cum alias mos illius sæculi
 ferret, ut docentes sederent: sicuti ipse etiam pas-
 sim id fecit. Hic vero stetit: ut magno sermo se
 docendi munere fungi velle innueret. 2. *Clama-
 bat*, tum propter turbam multitudinem, ut ab omni-
 bus audiretur: tum ut declararet se de iis dictu-
 rum, quæ referret omnes audire & scire: tum de-
 nique, ut intrepidi & imperterriti animi signum
 ederet, & ostenderet se neminem formidare. Nam
 qui sibi metuunt, pavula aliquibus submissa vo-
 ce in aurem insurrare solent, ne ab aliis prodan-
 tur. Sed Christus alta voce *clamat*, ut omnes eum
 audire possint. Sic ergo suos ministros suo exem-
 plo instruit, qua fide, integritate & constantia suo
 munere fungi debeant. 1. Captent & observent
 omnes occasiones, quibus verbum Dei auditori-
 bus cum fructu proponere possint. Si enim agri-

colæ studiose observant tempus sationis & messis,
 si piscatores & venatores omnes commoditates
 quarunt pisces & feras venandi. Quanto magis
 verbi ministri nullas occasiones negligere debent,
 animas hominum in regnum Dei adducendi. I-
 deo Servator suos ministros Luc. 12. v. 42. con-
 fert prudenti dispensatori, qui familiæ suæ in tem-
 pore suum cibum depromat. Et Paulus jubet ver-
 bum prædicare, ac simul instare opportune, im-
 portune. 2. Timoth. 4. v. 2. Inprimis autem à se di-
 scessuros fidei admonitionibus instruunt, quas
 memori mente teneant, ne alibi à sincera religio-
 ne se abduci patiantur, 2. Veritatem animose de-
 fendant & tueantur, nec ulla pericula se abster-
 rere patiantur, quo minus constanter & intrepide
 sinceram doctrinam proponant. Qui enim
 Dominum Jesum Hierosolymis in templo adver-
 sus Pontifices & Phariseos, acerbissimos ejus hos-
 tes, defendit, idem adhuc vivit, & suos in neces-
 sitatibus non deseret. Sed ut furenti Oceano levem
 arenam opposuit, ut intumescentes suos fluctus
 deponat: ita interdum miseram plebeculam fa-
 stuosis Theologomastigibus opponit, ut in actum
 transferre non ausing, quod cogitant. Iccirco *stent*
 firmi & immobiles, abundantes in opere Domini
 semper, scientes, quod labor ipsorum in Domino
 non sit inanis futurus. 1. Cor. 15. v. 58. Et *clament*
 ex gutture, quasi tuba exalcent vocem suam, ut
 peccata auditorum arguant. Jel. 58. v. 1.

Qualis autem fuit concio illa, quam Chri-
 stus novissimo demum festi die proposuit? Jo-
 hannes more suo tantum capita breviter a nnotavit:
 quæ ideo diligentius sunt consideranda: quia
 etiam hostes ejus efficaciam senserunt. Summa
 autem hæc est. In Christo Jesu est fons vivus, seu
 plenitudo omnium, quæ ad salutem sunt necessa-
 riæ. Quod autem non omnes ex plenitudine e-
 jus accipiunt, inde fit: quia non omnes eum qua-
 runt & recte sitiunt, hoc est pauci sensu peccati &
 damnationis tanguntur. Qui vero sitit, non ali-
 bi quærat levationem, quam apud Christum: ex
 hujus plenitudine tantum accepturus est, ut in se
 habeat fontem aquæ vivæ salientis in vitam æter-
 nam. Nos singula membra aliquanto diligen-
 tius enodabimus.

I. Christus Metaphora sitis nobis confide-
 randam proponit miseram nostram naturam &
 conditionem. Sumus omnes natura instar terræ
 arenis & siticulosa; steriles nimirum, & qui nul-
 los Deo dignos fructus fere possumus. Quid e-
 nim boni proferant ii, qui natura sunt filii iræ, E-
 phes. 2. vers. 3. in peccatis concepti & nati, Psal. 51.
 vers. 7. qui ex seipsis ne idonei quidem sunt, ut ali-
 quid boni cogitent, tanquam ex seipsis, 2. Cor. 3.
 vers. 5. quorum tandem cordium figmentum
 tantum pravum est ab ineunte ætate? Genes. 8. v.

Harm. Tom. I.



21. Caremus ergo natura gloria Dei, Roman. 3. v. 23. & omnis boni sumus indigi. Et hanc indigentiam intra nos ipsi sentimus. Hinc cor vestrum & anima tot desiderijs aestuat, ut modo hoc, modo illud appetat, quo animi sui sitim explere possit. Nam uti nihil est molestius, nihil intolerabilius, sicuti illud in ardenti febre laborantibus hominibus videmus: ita nulla requies est in animis hominum, variis desiderijs & appetitionibus laborantium. Sitim ne ipse quidem Samson, hominum robustissimus, ferre potuit, & nisi DEUS novum fontem ipsi aperuisset, viribus etiam post superatos Philistæos defecisset, Jud. 15. vers. 18. ita vel tandem omnes deficiunt, & æstu iræ Dei consumuntur, in quibus prava illa cordis desideria non extinguuntur. Nam vel tandem in corde exoritur sensus peccatorum, quibus se sibi applicuisse damnationem commoverunt agnoscunt, unde animæ acutius & majorum molestia exeruciantur, quam si in fornacem ardentis ignis coniecti essent. Ibi enim in furore Dei ignis accenditur, qui ardet usque ad inferni novissima. Deut. 32. v. 22. In qua flamma impij cum divite epulone cruciantur, ut ne guttam quidem aquæ, qua linguam suam refrigerent, impetrare possint. Luc. 16. vers. 24. Cæterum, quemadmodum gravi siti laborantes, ex quavis obvia lacuna eam restinguere cupiunt, & sæpe cum Dario Medo ex pugna profugo, ex turbidissima aqua admodum jucunde bibunt, identidem tamen siti priore recurrente: ita etiam homines cordis atque conscientia: suæ æstum, per quavis externa sibi occurrentia bona restinguere conantur, quales sunt honores, divitiæ, voluptates. Sed in his omnibus idem fieri deprehendimus, quod habet usitatus versiculus de siticulo-
sis hydropicis:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aque. Nil non Salomon rex omnium & felicissimus & sapientissimus, admodum eleganter de hac siti, & quam variis modis homines eam restinguere cupiant, in Ecclesiaste suo agit. Ubi in sua ipsius persona ostendit, quibus modis desideria æstuantis sui cordis sedare conatus fuerit. Fateatur se plantasse vineas: se ædificasse domos: se consecuisse hortos & pomaria: se piscinas parasse: se magnam familiam aluisse: se aurum & argentum coacervasse: se cantorum & cantatricum modulis seipsum oblectasse: se ad miscenda vina scyphos & urceos paravisse: se nihil negasse oculis suis: nec cor prohibuisse, quo minus frueretur omni voluptate. Quid vero hæc omnibus profecit? Nihil. Nam vidit vanitatem esse & afflictionem animi in omnibus quæ sub sole sunt. Ergo supra solem ascendendum erit, & transcoelestis fons quærendus, ex quo huic nostræ indigentia: & siti succurratur. Hunc fontem nobis Christus jam in concione sua monstrabit.

2. Nam dicit: *si quis sitit, veniat ad me.* Particula, *si quis sitit*, significat, se nec volentem quemquam velle rejicere, nec nolentem quempiam velle compellere: sed paratum esse quemvis volentem suscipere. Modo *sitiat*, hoc est, animum efferat, ardentem salutarem doctrinam & veram salutem desiderantem. Talibus dicit: *ad me veniant & bibant.* Sitientes non in incertum hinc inde vagari jubet: sed quemadmodum Genes. 21. v. 19. angelus

Domini Hagari, in inaquoso deserto vaganti, puteum aquæ monstravit, ex quo Israhælem siti alias periturum reficeret: ita Christus hic verum fontem vitæ & salutis, tam Judæis quam Gentibus monstrat, ex quo se contra æstuantem iram DEI & ferventes carbones inferni sustentare possint. De hoc fonte vaticinati sunt olim Prophetæ. Joel dicit cap. 3. v. 18. In illa die (quando Messias venerit) egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. Ezech. 47. v. 1. Convertit me Dominus ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. Zach. 14. v. 18. Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare novissimum: in æstate & in hyeme erunt. Hæc & consimilia dicta Christum in templo allegasse, & sibi applicuisse dubium non est. Clamavit ex Jesh. 55. v. 1. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque omni commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quibus verbis reprehendit Christus, si quis siti suæ aliunde satisfacere velit, quam ex se. Gentium Philosophi quoque multum disputarunt de summo bono & felicitate, & alij quidem hominibus persuaserunt, quod exercitiis virtutum, alij quod voluptatibus, alij quod studio sapientia: sitim explere velint. Consimiliter Pharisæi suos auditores opinione propria: justitia: inebriarunt, ipsisque persuaserunt, quod meritis suorum operum sitim suam restinguere possint. Sed Christus hic testatur, quod omnium istorum doctrina sit diluitor, quam ut animi sitim in terroribus conscientia: sedare & hominem reficere possit. Homo enim etiam honestissima: vitæ in perpetua relinquatur dubitatione, an unquam exactissima: justitia: divina: satisfecerit: maxime cum omnes justitia: nostræ sint coram Domino: tanquam pannus menstruata: Jesh. 64. v. 6. Hic verè homines omne argentum & laborem suum expendunt, sed non in saturitate. Christus ergo hic omnes, qui festum celebrarant, qui sacris interfuerant, qui sacrificia obtulerant, ad se vocat: quia tota lex debebat esse pædagogus ad Christum. Gal. 3. v. 24. Et vult dicere: hæc ceremoniis & sacris, quæ peregistis, omnibus, salutem vestram nondum est satisfactum, nisi eam apud me queratis: qui vobis à patre factus sum sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. v. 30. Scitis Davidem vestrum cecinisse in Psalm. 36. v. 10. Apud te Deus est, fons vitæ, & in tuo lumine videbimus lumen. Hic fons vitæ. Ego sum, à Deo Patre ad vos in terram demissus, ut ex mea plenitudine omnes acciperetis. Venite ergo & haurite, inebriamini ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis meæ. Ego potabo vos, v. 9. Scitis Salomonem dixisse: Sapientiam ædificasse sibi domum, immolasse victimas suas, vinum, & proposuisse mensam suam. Prov. 9. v. 1. Hæc cœlestis Patris sapientia Ego sum. Venite ergo, o amici mei, bibite & inebriamini charissimi. Cantic. 5. v. 1. Calix enim hic meus verè inebrians est. Pl. 23. v. 5. Haurite aquas de fontibus salvatoris cum gaudio. Jesh. 12. v. 3. & anima vestra: deliciis æternis fruetur atque abundabit.

dabit. Hic enim est fons ille patens Domui David & habitantibus Jerusalem: in ablationem peccatoris & menstruata. Zach. 13. v. 1. Hæc omnia verbi ministri probe attendant, ut homines salutis siti accensos, non remittant ad sua somnia, nec hominum commenta ipsis propinent. Hic enim sitis non restinguitur, sed acuitur & augetur. Simpliciter ad Christum salutis fontem remittant, si iis in æternum consultum velint.

3. Videmus etiam quomodo ad Christum veniamus, & quodnam is præmium venientibus polliceatur. Nam Christus, quod metaphoricis verbis initio ex Prophetis proposuit, mox planis verbis ipse explicat, de fide & Spiritu sancto. Venire ergo ad hunc fontem & bibere, est in Christum credere. Ideo non dicit, *si quis venit & bibit*, sed *si quis credit in me*. Eo ipso autem veram veræ fidei proprietatem exprimit, quæ non obiter aliquid de Christo percipit, & utcumque verbis de ipsius notitia gloriatur: sed Christum intra animum suum sic recipit, ut eum retineat, & ejus fiducia adversus omnes tentationes recreetur. Ut enim fons per se quidem profluit, & largam aquam præbet, sitibundis autem non prodest, si aquam saltem intueantur, aut ejus præterlabentis iusturum auribus hauriant, sed si aquam hausitam & potam intra se recipiant, ut ea recreentur. Sic non satis est, nos conciones de Christo audire, opera & miracula ejus in verbo intueri, & qualemcunque iis assensum præbere, aut de eorum notitia gloriari: sed necesse est, ut Christum cordi nostro includamus, firmo amore retineamus, & sinceram fiduciam ipsi innitamus, tum ipsius virtute, & spiritu irrigabimur, recreabimur, & in æternum sustentabimur. Ideo addit: *flumina de ventre ejus fluent aque viva*. Quæ sententia innuit, in se credentes hunc fructum consecuturos, quod non tantum illorum siti satisfiat: sed etiam tanta ubertate spiritus sancti replendi sint ex potatione hujus fontis, ut ex ipsis sint flumina profluxura, eaque aquæ vivæ & perpetuo currentis, ad irrigandum, & reficiendum etiam alios. Nam copiosa derivatio ad exteriores, est indicium abundantia interioris: Ideo etiam Joh. 4. v. 14. ipse Christus dicit: aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Effectum hujus promissi Christi non tantum primitiva vidit Ecclesia, sed etiam adhuc hodie nos eundem sentimus, quando Apostoli, tum alii credentes, Spiritu sancto largissime sunt donati, ita ut & docendo & scribendo aliis fidei salvificæ duces fuerint, insuper honesto exemplo sanctæ vitæ alios ad Christum adduxerint, qui prius ejus odio flagrabant. Moveat hoc non tantum ipsos Ecclesiæ Doctores, sed etiam in genere omnes Christianos, ut si de Christo fonte vitæ & salutis se bibisse verbis gloriantur, tales se etiam vitæ & opere commonstrent, ut rivuli tam fidei quam operum, tam pietatis quam charitatis, tam doctrinæ quam beneficentiæ ex ipsis dimanent, unde etiam alii in Christum credendi, Deum glorificandi, & ad salutem contendendi occasionem sumant. Derivent fontes suos foras, & in plateis aquas dividant. Prov. 5. vers. 16. nihilominus Domini suæ cisternæ manebunt. Qui vero tam lingua quam vitæ exemplo hunc fontem salutis inficiunt, sicque occasionem præbent, ut homines ad stygiam pa-

Harm. Tom. I.

ludem, pice & sulphure stagnantem, deveniant, illi suum judicium portabunt.

Hic vero oritur quæstio apud interpretes: quandoquidem Christus hoc loco Scripturam allegat, loquens de effectu fidei in se, & inquit: *sicut scriptum dicit*, ubi scriptura illa legatur? Et quia multi putant talem scripturam nusquam extare: ideo Chrysostronus & Theophylactus hanc sententiam hoc modo legunt & distinguunt, ac si ita sonaret: *qui credant in me, sicut scriptum dicit, flumina de ventre ejus fluent aque viva*. Quasi Christus non tantum vellet indicare, scripturam æque fidem in se requirere, atque ipse eam postulari: sed etiam simul monstrare modum fidei, si ea efficax esse debeat. Quod nimirum non satis sit, quovis modo in Christum credere: sed opus sit, ut ita quisque credat, quem admodum scriptura modum fidei præscribit. Hic sensus valde pius est, & præbet nobis regulam observati dignissimam. Nimirum nemini concessum esse, ut pro suo arbitrio sibi Messiam fingat, qualem velit: sed talem credat & apprehendat, qualem scripturæ sacræ nobis proponunt. Olim Judæi magno desiderio Messiam expectabant. Verum, quia illum non talem, qualem scripturæ præscribunt, recipere volebant, sed mundanum regem desiderabant, salutari ejus usu privati sunt. Sic fere hæretici omnes de Jesu Christo gloriati sunt. Sed quia alii ejus divinitatem, alii humanitatem ejusdem negarunt, alii naturas confuderunt, alii personam distraxerunt, sicque Christum, non juxta scripturarum descriptionem, sed juxta proprii cerebri somnia crediderunt, circa fidem naufragium fecerunt. Turcæ quoque Jesum Mariæ filium magnificiunt, eique Deum animam suam propriam tribuisse, (Azoara. 4.) & prophetarum summum constituisse profitentur. Verum quia eundem verum Dei filium esse & opus redemptionis generis humani peregrisse, contra scripturam negant, fides ipsorum vana est & inanis. De Papistis idem pronuntiare possumus: quod Christum longe alium sibi imaginentur, quam qualem scripturæ describunt. Dicunt ipsum opus habere in terris Pontifice: in caelis juxta se admittere sanctos intercessores: non solum pro peccatis mundi satisfecisse, sed etiam nostras satisfactiones requirere: sicque fructum redemptionis ejus evacuant. Et hac de causa etiam eorum fidem in Christum falsam esse dicimus. Est ergo hæc regula admodum necessaria, quæ secundum lectionem Chrysostroni ex hac sententia desumitur. Sed si etiam ulitatem lectionem servamus, & quis quærat, ubinam scriptura testetur, quod flumina viventis aquæ fluitura sint ex illorum ventre, qui in Christum credant? Ei respondemus, scripturæ locos supra à nobis allegatos esse, quibus etiam addi possunt. Jes. 41. v. 18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram in viam in rivos aquarum. Jes. 43. v. 19. Ecce ego facio nova: ponam in deserto viam, & in invio flumina. Ezech. 36. v. 25. Effundam super vos aquam mundam. Hæc dicta sufficiant, ad probationem ejus, quod Christus hic ex scripturis adducit. Neque enim ubique locorum scripturæ ad literam, & de verbo ad verbum citantur: sed interdum tantum secundum sensum allegantur, ut in Matthæo videmus.

Uuuu 3

4 Huic

4. Huic concioni Christi ipse Evangelista subjungit explicationem his verbis: *Hoc dixit Jesus de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Nondum erat spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Hoc dicto abusi sunt, non tantum veteres hæretici, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Eudoxus & in genere *ωνοματομαχοι*, sed etiam parentum nostrorum ætate renovata est hæc secta per Campanum & Anabaptistas, qui negant Spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, ejusdem cum Patre essentialis & majestatis: sed esse tantum motus in cordibus fidelium creatos & propter meritum Christi missos. Quia Johannes hic dicat: *spiritus sanctus nondum erat.* Sed cogitet hic pia mens, si horum argumentatio valeret, quanta absurda secutura essent. Sequeretur enim non tantum pios patres & prophetas in V. T. & Apostolos in N. T. ante Pentecostem, sed etiam Christum ipsum caruisse Spiritu sancto: imo sequeretur etiam nos hodie, postquam miraculosa illa dona desierunt, eodem carere. Et hoc ipsum quarit diabolus, ut sic omnem consolationem nobis eripiat. Contra hanc ergo hæresin nota sint dicta. Genes. 1. vers. 2. in creatione spiritus Domini ferebatur super aquas. Quod David Psalm. 33. v. 6. sic explicat: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Idem David 2. Sam. 23. v. 2. testatur, spiritum Domini per se locutum esse, & sermonem ejus per linguam ipsius. Item Psalm. 143. versic. 10. spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam. Et Petrus 1. Epist. cap. 1. vers. 11. item 2. cap. 1. vers. ultim. testatur de omnibus Prophetis, quod per spiritum scrutati sint Christi passiones & glorias; & quod spiritu sancto inspirati locuti sint. Non ergo loquitur hic Johannes de existentia vel substantia Spiritus sancti: sed de miraculosa ejus missione in festo Pentecostes, & de publica illa revelatione Evangelii, per quod plantata est fides in toto terrarum orbe, quod ipsius Spiritus sancti opus fuit. Alioquin Johannes ipse sibi turpiter contradixisset: utpote qui cap. 1. vers. 32. jam scripserat, Baptistam vidisse Spiritum sanctum quasi columbam descendentem de cœlo, & manentem super Christum. Item Johan. 3. v. 6. quod natum ex spiritu, est Spiritus. Item Johan. quarto. vers. 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Ergo *Spiritus sanctus* sic *nondum erat*, ut nondum fluerent flumina de ventre credentium. Habuit quidem Christus in se fontem vitæ, adeoque ipsum Spiritum sanctum, qui ab ipso & Patre procedit: sed hæc tunc se continebat in Judæa, & ad paucos effluxit, sed post *Christi glorificationem* per publicam prædicationem Evangelii emanavit in universam terram. Et hic est verus intellectus hujus interpretationis Johannis. Qua ipsa nos docet, scripturam sacram pia expositione declarari debere. Et si enim ea, quæ in scriptura de fide & salute traduntur, per se plana sunt & aperta: tamen, quia ea multi ex oscitantia non attendunt, aut, si quæ obscuriora sunt, rudiores non assequuntur, ideo Scriptura interpretatione indiget. Quam olim etiam prophetiam appellarunt. In qua tamen cavendum est, ne sit *idius Interpres* privata & propria interpretationis. 2. Pet. 1. v. 20. quin operanda, ut sit analogia fidei. Rom. 12. v. 6. Non im-

portemus in scripturam sensus nostros, ut cogatur illa quasi id docere, quod nos volumus: sed verum sensum ex Scriptura desumamus; obscuriora per aptiora declaramus, & Scripturas per scripturas interpretantes, non facile *δοτο & παρεωρεσθησονται*, à literali sensu ad allegoricum vel figuratum deflectamus, nisi manifesta absurda, in articulos fidei impingentia, nos id facere cogant.

II. Videamus etiam fructum & efficaciam hujus concionis Christi, eam autem Evangelista diversam, pro diversitate ingeniorum vulgi, fuisse testatur: 1. *Multi de turba audientes hunc sermonem, ple-num cœlesti doctrina: commoti tam verborum, celsitudine, quam dicentis efficacia, dixerunt, hic est vere Prophetas.* Hi aut vulgarem prophetam esse arbitrati sunt: quia in Græco additur articulus *ος*, respiciunt ad locum Moïsi Deut. 18. v. 18. 2. Alii dixerunt: *hic est Christus*, promissus nimirum ille populi sui vindex & redemptor. Quid vero inter has duas opiniones interest? In fundamentum nihil: præterquam quod Judæi ex crassa ignorantia non intelligebant, à Mose obscurioribus illis temporibus Prophetam dictum fuisse eundem, qui postea à Davide aliis Prophetis, cum propius ad exortum Solis justitiæ accederent, Messias dictus est. 3. His rursus alii contradicebant: *num à Galilæa Christus venit? an non veniet ex Bethlehem, ubi David erat?* Offenduntur hi, quod putent, Jesum esse Nazarenum Galilæum, & huic opponunt, quod Mich. 5. vers. 1. ex Bethlehem dux populi exiturus prædictus est. Sed si veritatis amore ipsi ducti fuissent, facile animis ipsorum hic scrupulus exemptus fuisset. Nam & à Christo ipso, & ab ejus familiaribus cognoscere potuissent, ipsum non Nazarethi, sed Bethlehem natum fuisse. Cognoscere potuissent, ipsum ex familia & domo David esse oriundum. Sed hi veritatem non deprecant, verum prætextus querunt, cur in hunc Jesum credere nolint. Nathanael Joh. 1. v. 46. quod fuit offensus eo, quod audit Jesum esse à Nazareth: sed motus signis accedit, inquit, & ad fidem in Christum pertractus est. Si etiam hi veritatis studiosi fuissent, & Christum ejus inquirendæ causæ adissent, Christus ipsis non defuisset. Sed 4. his fuerunt peiores illi, qui *ipsum volebant apprehendere.* Hi sunt verissima satanæ organa, qui si verbis & mendaciis veros doctores refutare nequeunt, manifesta vi carceribus & suppliciis eos extinguere nituntur. Sed non semper possunt, quod volunt. Nam & hic divina virtute ipsorum conatus est repressus: adeo ut satellites re infecta ad suos dominos redierint. Nam *nemo coniecit in eum manus.*

Monstrant nobis hæc, quæ sit fors Evangelii prædicati: nimirum, quod *schisma seu dissidium* oritur inter auditores: aliis illud approbantibus, aliis reprobantibus, aliis firma fide apprehendentibus, aliis simul suas superstitiones foventibus. Et hic fere culpa conjicitur in ipsum Evangelium, quasi illud schismata planter: cum illud ab hac culpa sit alienissimum, utpote quod passim fidei unitatem & charitatis studium inculcet. Primaria itaque causa dissidiorum est ipse Diabolus, qui hæc in parte abutitur improbitate ingeniorum humanorum, ut hæc ab invicem ex vitiosa naturæ inclinatione dissidentia, Evangelii occasione abutantur, ad virus animi sui evomendum. Sic ergo Evangelium

gelium per accidens potest esse causa schismatum. Quemadmodum enim pharmacum aliquod generosum & salubre, in corpore humano non gignit vitiosos humores, sed illos jam ante collectos ejicit, ne progressu temporis interitum toti corpori attrahant: ita Evangelium occasionem præbet, ut prava ingenia, quæ in cœtu aliquo latent, maturius dissimulatam animi improbitatem prodant, suo tumultu Ecclesie corpus concutiant, & interiora ejus lancinent, totum illud ad interitum adducturi, nisi mature à nobis exirent, qui nunquam verè fuerunt ex nobis. 1. Joh. 2. ver. 19. Causæ adjuvantes schismatum sunt, partim turpis ignavia malorum antistitum, partim ignorantia populi, partim scelerata malitia perditorum hominum. Has causas omnes hic textus oculis nostris spectandas exhibet. Ex ignavia Pontificum & Levitarum provenit, quod populus distinguit inter magnum illum prophetam & Messiam. Si sacerdotes, quorum labia scientiam custodire, & os eorum legem Domini enarrare debebat, Malach. 2. ver. 7. sacram Scripturam in manus sumplissent, & ex ea ordine populo monstrassent, quomodo paulatim Messia promissiones clariores atque clariore editæ fuissent: quomodo subinde aliis, atque aliis nominibus ipsius multiplicia beneficia inculcata fuissent, nunquam tanta incertitudo laborasset. Nam qui initio dicebatur semen mulieris & semen Abraham, is à Jacobo dictus est. Goelem redemptor, angelus & legatus Domini, Genes. 48. ver. 16. Scilicet Genes. 49. v. 10. à Mose Propheta magnus Deut. 18. ver. 18. à Davide Messias Psalm. 2. v. 2. Rex. v. 6. ab Jesaia, Immanuel, Jesh. 7. v. 8. à Jeremia, Jehova, justitia nostra, Jer. 23. v. 6. & 33. v. 14. & sic deinceps. Neque enim nobis propositum est, in præsentia omnia Messia epitheta persequi. Hoc tamen certum est, ut dixi, si sacerdotes hæc saltem epitheta dextra explicatione populo proposuissent, non is in tam insulas disceptationes de Messia incidisset. Deinde ex hac supina Antistitum socordia, sequitur in populo crassa ignorantia, ut nihil eorum intelligant, quæ fundamenta religionis concernunt. Hæc ubi dominatur, facillime populus in diversas opiniones scinditur: ut, quot capita sunt, tot etiam sensus reperiantur. Hoc etiam Majorum nostrorum temporibus sub Papatu accidit. Quod quemadmodum hic Judæi pueriliter delirant, in præcipuo religionis articulo, qui omnibus notissimus esse debebat: ita sub Papatu paucissimos reperire licuit, qui verum sensum Decalogi, vel Symboli Apostolici, vel orationis Dominicæ tenuissent. Quid ergo mirum, quod inter tales dissidia & partium studia oriuntur, quando per prædicationem Evangelii ipsis de religione disserendi occasio præbetur? His denique accedit, quod quidam Scripturis male detortis abutuntur. Arripiunt alicubi particulam aliquam inepte intellectam, & illam contra sanam doctrinam detorqueunt: non attendunt, quibus in locis vera sedes cujusque articuli inveniantur: nec observant, quod scriptura est una Copulativa, nec unus articulus ab altero dirimi aut contra alterum produci debeat. Sic Jesuitæ multum de justificatione disputant, sepositis epistolis Pauli ad Romanos, & ad Galatas, in quibus tamen hic

Harm. Tom. I.

Articulus solidissime est tractatus. Ità Sacramentarii, de sacra Domini scena disputant, partim ex V. T. partim ex sexto capite Johannis, neglectis interea verbis institutionis, quæ ipsissima & propria sunt sedes hujus materie. Verbi itaque præcones in docendo sint seduli, auditores in discendo assidui, & singuli verum Scripturæ sensum ex fundamentis solide percipere discant: tum Domini spiritus largietur, ut conjunctim in unitate fidei crescant, idem sentiant, eadem mente & sententia sint præditi, nec inter ipsos sint schismata. 1. Cor. 2. v. 10.

III. Sed concilium, quod Pontifices & Pharisei eodem die Hierosolymis contra Jesum coegerant, quoque est inspiciendum. 1. Et primo quidem satellites seu ministros consideremus, qui ad Pontifices & Phariseos venerunt in Concilium. Dignum profecto parella operculum. Sanguinari Pontifices Jesum Dei filium in templo audire fastidiant: digni ergo sunt, qui in Concilio suo apparitores & lictores, qui fontes ad vincula trahunt, audiant. Sicuti Romanenses Episcopi in suis conciliabulis sæpenumero plures lictores & carnifices, quam viros bonos, habuerunt: Veluti factum est in Constantiensi concilio, in quo Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem, duos viros toto Concilio præstantiores, exusserunt. Cum his suis fidelibus dilectis quid Judæorum pontifices egerunt? Expostulant cum ipsis, inquirentes: *quare non adduxistis illum?* Dubium non est, hosce ministros per singulos dies emissos fuisse, ut occasiones observarent, quando commodissime in vincula Jesum trahere possent. Et quod reliquos dies ministri frustra abire passi sunt, illud pontifices utcumque patienter tulerunt, ob festi sanctitatem. At quod jam finito festo illum non adducunt, inique ferunt, metuentes, ne cum reliquis peregrinis discedens, ex manibus suis elaberetur. Sed ministri se excusantes respondent: *Nunquam homo sic locutus est, ut hic homo.* Præterdunt doctrinam ipsius, cujus etiam reliquis diebus auditores sine dubio fuerant, gratiam & gravitatem, ob quam iniquum esse judicaverint, ut contumeliosi quid pateretur. Voluerunt ergo dicere: Audivimus etiam antehac Scribas legem tractantes, sed tanta gratia non fuit diffusa ipsorum labiis, quanta in hujus. Docuit hic quasi habens auctoritatem, Matth. 7. v. ultim. unde tanta efficacia perculit nostros animos, ut nihil hostile in ipsum tentare potuerimus. Quod ergo imperata non fecimus, illud non intermisimus, vel metu multitudinis, vel alia aliqua de causa, sed tantum, quia reluctantis animis tanto Doctore manus injicere non potuimus. Observa hic virtutem & efficaciam verbi divini, quæ tanta est, ut ejus ministerio hic satellites, immite hominum genus, & ad omne facinus mercenarium, non tantum animos suos mutant, sed etiam non vereantur Christo Jesu coram suis Dominis gloriosum testimonium doctrinæ præbere. Annon hæc est mutatio dextra Excelsi? Psalm. 77. v. 11. Num qui ad capiendum Christum egressi fuerant, ab ipsa gravitate doctrinæ capiuntur. Sic Saulus Damascum ad vastandam Ecclesiam Christi missus: ejusdem virtute in Apostolum commutatus redit. Act. 9. v. 6. In eo tamen hi ministri peccant,

Uuuu 4 runt,

runt, quod in illorum servitio manserunt, quos Jesum, quem ipsi cum admiratione docentem audiverunt, hostiliter persequi nosset. Sed absque dubio, si quis hoc in ipsis reprehendisset, præterdissent, se nullam aliam, quam apud hosce Pontifices commodam vivendi rationem habere posse. Horum similes sunt apud pontificios illi, quorum oculis quidem purior Evangelii lux affulsit, sed ne rei domesticæ damnum patiantur, privati commodi & ventris causa apud ollas Pontificias desident: ubi multa audire, multa dissimulare, ad multa tacere coguntur, quæ cum conscientia sua pugnare, negare non possunt.

2. Pontifices & Pharisei, licet hoc satellitum responso gravissime fuerint offensi: animi tamen furorem, ne illos prorsus à se alienent, dissimulant, & ministris mitius respondent, dicentes: Quid vobis accidit? Num & vos seducti estis? Num quis ex principibus aut Phariseis credidit in eum? VOS, qui nobis familiares estis, & ex quotidiana conversatione nobiscum præ aliis proficere debebatis, novistis, Deum judicium de doctrina non effreni multitudini, sed Deuter. 17. v. 9. sacerdotibus, doctoribus atque sic literatoribus commississe. Apud vos igitur perpendere debebatis, quod nullus principum vel phariseorum, apud quos est legis cognitio, in ipsum credit: certe in ipsum credituri, nisi persuasum haberent, ipsius doctrinam cum lege Moisaica pugnare. Hos ergo tanquam doctos & sanctos potius sequi debebatis, quam turbam, quæ legis ignara, execrabilia est & maledicta. Sic choleram suam in turbas effundunt, quam erga ministros, ne eos alieniores redderent, celant, & turbis ob legis ignorantiam maledicunt. Si vero hæc propterea Deo execrabiles sunt, quæso per Deum, cujus culpa id sunt? An non ipsorum Pontificum & Sacerdotum? quorum labia scientiam custodire debebant, ut populus legem Domini ex ore ipsorum requireret Mal. 2. v. 7. Quia vero hi canes fuerunt muti, ipsorum culpa plebs minus novit de lege Domini, quam salus ipsius postulabat. Ex his ergo animadvertamus quantum sit fastus eorum, qui ipsi sibi placent de sapientia & sanctitate: ut omnes præ se fastidiose contemnant, veluti rudes & maledictos, ac solum suum institutum sacrosanctum esse velint: illud sufficere existimantes, ut justum & rectum habeatur id, quod ipsi sic haberi velint. Et quod hic Concilium ministris objicit: *num quis ex principibus credit in Jesum?* idem nobis Pontificii objiciunt. Volunt, ut inter se conferamus Evangelii sectatores & pseudocatholicos. An non ex nostris partibus, inquirunt, stant Imperatores, reges, principes, pontifices, Cardinales, episcopi, homines doctrina, sapientia, dignitate, sanctimoniam existimatione illustres? Hosne pro stipitiibus habetis? Anne eos nulla salutis cura affici putatis? si quid solidi subesset vestro Evangelio, ipsi præ aliis illud susceperunt. At cerdones, sutores, sartores, agricolæ vestro Evangelio adhærent: & si qui nobiles aut principes ei se adjungunt, vel id propterea faciunt, quia obærat student involare in bona Ecclesiastica, & iis ditari, aut Baccho & Veneri studere cupientes, apud vos liberio rem auram querunt. Idem etiam Calviniani nobis objicere didicerunt. Vos Lutherani, dicunt, exi-

guum angulum occupatis in Saxonia & Suecia, & paucos ad stipulatores habetis. Nostræ vero doctrinæ subscribunt Gallicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Anglicanæ, Scoticæ, Helveticæ, Belgicæ & aliæ Ecclesiæ, quarum doctores, neque eruditionis neque sanctimoniam nomine vobis Lutheranis cedunt. Sed bone Jesu, quot boni viri in illis Ecclesiis inveniuntur, qui si citra calumnias nostræ doctrinæ explicationem audirent, nequaquam eam damnaturi, sed benigne amplexuri essent. Sed esto, illos omnes nostram doctrinam rejicere: nos tamen scimus in religionis negotio nullam hominum auctoritatem valere, nisi Dei verbo ea confirmetur. Ac proinde thraasonicis utriusque partis gloriacionibus opponimus dictum Christi, Matth. 11. v. 25. Gratias ago tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc absconderis sapientibus & intelligentibus, & revelaris ea parvulis.

3. Ex toto tamen Concilii cœtu surgit unicus Nicodemus, qui quidem non aperte & directe Christum defendit, sed politica tantum ratione utitur, qua cuivis etiam scelerato patrocinari potuisset: ea tamen tantum efficit, ut totum Concilium non sine confusione disturbetur. Hic Nicodemus Joh. 3. v. 1. à Christo fuit institutus de negotio redemptionis & regenerationis hominum, atque sic semina quædam fidei accipit. Sed hæc occulta & quasi sepulta mansere, ob timiditatem, donec post passionem erumperent, Joh. 19. v. 39. quando fugientibus & occultantibus se magnis Apostolis, hic Nicodemus in publicum prodit, & Jesum crucifixum honeste sepeliendo fidem suam omnibus conspicuam reddidit. Quia ergo Nicodemus à Christo recte institutus, & agnoscens Jesum esse Magistrum à Deo missum, tamen mansit in Synedrion Judæorum: quaritur, an hoc ipsius factum sit imitandum? Et hic in utramque partem probabilia argumenta aperiri possunt: illis ipsius factum, tanquam cum Christi doctrina Matth. 10. versic. 32. pugnans, improbantibus: aliis vero, tanquam quod Christo multum hic profuerit, probantibus. Et horum ipso facto satis amplus est numerus, ut peculiarem sectam Nicodemitarum constituant. Ego judico difficile esse, ex hoc unico exemplo generalem regulam ponere, quæ singulis individuis accommodari possit. Ut enim unicus calceus minime omnium pedibus adaptari potest: ita nec talia exempla. Deus suos diversimode ducit. 1. Qui verum gustum cognitionis Christi perceperunt, illi rectissime faciunt, si ab hostibus veritatis recta prorsus recedant, juxta præceptum Domini. Jes. 52. v. 11. & Apoc. 18. v. 4. sic una molestia discessus superata à multis molestiis aliis liberantur, quas quotidie devorare coguntur, dum desident inter illos, qui dies noctesque contra Christum consulant. 2. Hic vero interdum aliquibus omnes occasiones exeundi sunt præclusæ, ut quasi compedibus irretiti, contra animi voluntatem apud eos desiderare cogantur, de quibus cum Davide dicere possent ex Psal. 120. v. 5. Heu mihi quod incolatus meus prolongatus est in Mesech & Cedar: multum incola fuit anima mea, cum his, qui oderunt pacem. Erga tales patientia est habenda, & Deus rogandus, ut ipsos vel tandem liberet. 3. Interim hi caveant, ne quicquam velloquantur vel faciant contra veritatem,

tem, quo conscientiam suam gravare possent. Ea enim ratione non infirmi Nicodemita, sed turpes Christi abnegatores futuri essent. 4. Dent denique operam, ne perpetuo clam latitent, sed vel tandem cum Nicodemo prodeant, & publicè suæ fidei confessionem edant, in gloriam Dei & aliorum confirmationem. Si tales se gesserint, tum tales Nicodemi ad tempus tolerari possunt; & Deus illorum timiditate suo tempore bene uti potest, sicuti hic cum Nicodemo fecit. Nam quod talis eventus secutus, illud non Nicodemi timiditati, sed Dei bonitati adscribendum est.

Quid ergo Nicodemus fecit? Dixit: *num lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Quasi dicat. Nos legem profiteamur, & vos de ejus singulari cognitione gloriamini, turbam ob legis ignorantiam execrantes. Verum attendite ipsi, num legi, quam profiteamur, conveniat, quod Jesum nec auditum, nec convictum ad interitum quaritis. Hæc certe causas omnes quam diligentissime cognoscere, tam parum quam magnum audire, nec quinquam inaudita causa damnare jubet. Hæc dicendo Nicodemus respexit ad locum Exod. 23. versicul. 1. Vocem mendacii non suscipies. Levit. 19. vers. 15. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis: non consideres personam pauperis, neque vultum potentis. Deut. 17. vers. 4. jubet diligenter inquirere, ut verum possint reperire. Hæc fuit Nicodemi sententia Concilii injustis conatibus opposita.

Ex his vero videmus, Deum ubique habere suos, in turba, in aulis, inter ministros Pontificum, in hostili Conciliabulo. In aula Pharaonis habuit Mosem: in aula Achab Obadiam: in Monarchia Babylonica Danielem & socios: hic inter Judæos Nicodemum & postea Josephum de Arimathia. Phil. 4. vers. 22. sanctos in ipsa domo Neronis. Et sic deinceps. Agnoscamus ex his Dei bonitatem, & bene speremus, si maxime quam plurimi in excidium Ecclesiæ conspirasse videantur. Deus mox inter medios hostes nobis patronos excitare potest. 2. Videmus etiam verbum Dei sensim fructificare, ut habet parabola Marc. 4. vers. 27. In Nicodemo semen verbi divini in quartum usque annum delituit, antequam plene fructificaret. Non ergo mox desperemus de iis, qui non protinus in omnibus verbum auditum exequentur. Etsi enim ipsorum tarditas nequaquam laudem meretur: suo tamen tempore Deus ita ipsos excitare potest, ut tarditas illa postea fidei fervore compensetur. 3. Videmus etiam, unum hominem toti Concilio sese opponere posse: si ipse Dei verbo sit instructus, illi autem ab eo recedant. Nam quod hic Nicodemus fecit, idem fecit Helias, 1. Regum 18. v. 20. propheta Michæas, 1. Reg. 22. versic. 13. Paphnutius Diaconus in Concilio Niceno contra legem impuri calibatus; Athanasius contra Arianos & omnes eorum patronos. 4. Judicet etiam hic sui officii a Nicodemo admonentur: cujus admonitionis tria membra ex hoc loco desumi possunt. 1. Ut non tantum accusatores, sed etiam reos audiant: juxta illud Græcorum ἀκούειν, & Alexandri Magni exemplum, qui in

judicio alteram aurem obturare solebat, ut eam reo integram reservaret. Qui vero à delatoribus præjudiciis se præoccupari patiuntur, illi facile & turpiter decipiuntur. Quod multoties in aulis fieri solet. 2. Causam cum omnibus suis circumstantiis diligenter expendant. Si enim festinatio uspiam, certe in judiciis & consiliis vel maxime pernitiola est. Ubi sæpenumero vel cum ingenti suo dedecore laram sententiam retractare, vel contra conscientiam & jus innocentem personam gravare coguntur. 3. Tandem talis sententia feratur, quæ legum auctoritate & rectitudine nitatur. Qui enim extra & præter leges juxta cerebri sui sensu pronuntiare solet, is potius intolerabilis tyranni, quam legitimi magistratus vel judicis personam sustinet. 5. Denique hæc phrasîs notanda est, *num lex nostra judicat hominem non auditum?* Ubi lex judicare, audire & cognoscere dicitur, quando homo secundum eam judicat, audit & cognoscit. Hinc judicent piæ mentes, quæ perveritas, nequitia & petulantia innominati cujusdam Jesuitæ (cujus nomen in Orco adscriptum est) in Ratisponensi Colloquio fuerit, quod *2. 2. 2. 2.* affirmare ausus fuit: Spiritum sanctum judicis sententiam pronuntiare non posse, licet secundum Scripturam à Doctoribus judicium instituat. Hic multis sarcasmis non homines, sed ipsum Spiritum sanctum explosit. Sed judicent, quicumque judicare possunt: si legi inaminatæ judiciaria potestas adscribitur, quo jure eadem Spiritui sancto, tertiæ personæ sacrosanctæ Trinitatis, quæ præsens tractationi sacri verbi interest, adimi possit. Hæc omnia latius extendi possent: sed breviter ea monuisse sufficiat.

4. Quomodo vero Nicodemus cum admonitione sua à collegis in Concilio exceptus fuit? Non aperte Christum defenderat, sed tantum politica ratione eos sui muneris commonefecerat: ipsi vero exardescens convitio eum excipiunt, quasi non ex pio zelo erga legem, sed ex nimis benigno erga Jesum affectu hæc dixerit: *num & tu Galilæus es?* inquit. Quia Galilæa passim contempta & infamis erat, omnes Jesu sectatores Galilæorum nomine diffamare coeperunt. In quo Julianus Apostata eos imitatus est, Dominum Jesum Christum non nisi Galilæi nomine appellans: quem tamen vel invitum tandem victorem agnoscere conatus est. Pharisei autem, ne citra justam causam Galilæam traduxisse viderentur, addunt: *scutare, & vide, quod à Galilæa propheta non surrexit.* O lumbæ Argumentum! Esto, quod ante ista tempora nullus propheta ex Galilæa prodierit: num vero Dei manus decurrata fuit, quod nec tum, nec posterioribus temporibus, prophetam ex Galilæa dare potuerit? Sed æquum est, ut talibus turpibus paralogismis se ipsos confundant, qui veritati bellum indixerunt. Hinc discamus. 1. protervum esse, hominem alioquin pium & bonum patriæ suæ nomine exagitare. Sicuti quidam aliis objiciunt, quod hic sit Suevus, ille Bohemus, tertius Belga, quartus Anglus vel Scotus, quintus Belga vel Gallus, & sic deinceps. Habent quidem fere singulæ nationes certa sua & quasi innata vitia: sed si quis sit Christianus & vir bonus, à vitiis abstinens, quid opus est ei pa-

ei patrem obijcere? Cum juxta Paulum, nec Judæus sit, nec gentilis, nec servus, nec liber, nec Suevus, nec Anglus: Sed in Christo Jesu omnes sint unum, Galat. 3. v. 27. & Coloss. 3. v. 11. 2. Interim Nicodemitæ hinc etiam discant, se parum proficere, quod fidei suæ confessionem studiose tegunt. Nam si vel saltem levem aliquam de se suspicionem præbeant, fere in majori sunt periculo sinister hostes, quam si publica professione se ab ipsis sejungerent.

5. Postremo ridiculus hujus Concilii exitus tribus verbis describitur: *Et profectus est unusquisque in domum suam.* Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus. Concilium nihil aliud præterquam minas & sanguinem adversus Jesum spirabat. Sed ecce, unius hominis ejusque dissimulatores æqua & civili oratione sic percelluntur, ut totum Concilium disturbetur, & singuli non sine magna animi ægritudine domum infecta re redierint. Illustre hoc est exemplum, quod docet, verum esse illud Salomonis Proverb. 21. v. 30. non

est consilium, non prudentia nec sapientia adversus Dominum. Aut enim in vanum conveniunt ejusmodi veritatis hostes, adversus Dominum & adversus Christum ejus: Psalm. 2. v. 2. aut, si maxime quid concludant, tamen Deus impedit, ne executioni detur. Juxta illud Jesh. 8. v. 10. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia hic Immanuel. Quoties Tridentinum Conciliabulum vel peste, vel rumoribus belli fuit dissipatum? Et licet vel tandem Canones & Decreta sua confecerint & publicarint: iis tamen ipsis pendendam Romanæ suæ Thædis turpitudinem conspiciendam præbuerunt, & ne hodie quidem, licet magno conatu id tentarint, sua decreta executioni dare potuerunt. Permoveat hoc nos, ut de rebus Ecclesiæ non facile desperemus. Etsi enim hostium dignitas, autoritas, potentia & vis magna est: major tamen est Christi Domini majestas, qui sedens ad dexteram Patris, unico flatu omnia ipsorum consilia & conatus dissipare potest.

CAPUT C.

CONTINENS HISTORIAM ADULTERÆ AD CHRISTUM A PHARISÆIS ADDUCTÆ.

JOANN. 8. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Via Dominus Jesus Luc. 9. v. 51. faciem suam firmaverat, ut iret Hierosolymam, noluit statim finito festo tabernaculorum cum reliquis peregrinis discedere. Sed partim Hierosolymis, partim in ejus vicinia, in terra Judæa hæsit, usque ad festum Encæniorum. Quodam igitur die post festum tabernaculorum, cum doceret populum, facta est in templo historia de adducta ad Christum adultera, in ipso facinore deprehensa. Quam historia latina Ecclesia semper recepit. Est enim analogia fidei, & pulcherrimam doctrinam continet, si statum disputationis inter Christum & Pharisæos recte consideremus. Pharisei enim

ægre ferebant, quod Christus peccatores poenitentes, quos lex damnabat, susciperet. Adulteram ergo in ipso facinore deprehensam adducunt: ut si etiam hanc reciperet, infami hoc exemplo apud populum evincere possent, eum legis esse adversarium. Christus vero peculiaritatem ostendit, legem accusare & damnare non tantum hanc adulteram, sed ipsos etiam Phariseos. Et Messia officium in Evangelio esse, non damnare poenitentiam agentes, sed salvare. Ut autem simul & hoc ostendat, se non probare peccata, addit commensationem de non amplius peccando. Hac consideratione status adhibita, historia plana erit, quam per singulas partes videbimus.

HISTORIA ADULTERÆ AD JESUM ADDUCTÆ.

JOAN. 8.

1. Ἰησοῦς ἦ ἐπερεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.
2. Ὁρθρὸν ἢ πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερόν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ καθίσαι εἰς διδασκαλίαν αὐτοῦ.
3. Ἄγασαν ἢ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι πρὸς αὐτὸν γυναῖκα ἐν μοιχείᾳ κατελημμένην. καὶ εἰσάγουσιν αὐτὴν ἐν μέσῳ.
4. Λέγουσιν αὐτῷ· Διδάσκαλε, αὐτὴ ἡ γυνὴ κατελήφθη ἐπὶ αὐτὸ φάρω μοιχευομένην.
5. Ἐν τῷ νόμῳ Μωσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τιαύτας λίθοβολεῖσθαι. σὺ ἂν τί λέγεις;
6. Τῆτα ἢ ἐλεγον περιελάζοντες αὐτὸν, ἵνα ἔχῃσιν κατηγορεῖν αὐτοῦ. Ὁ ἢ Ἰησοῦς κατακύψας τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν.

1. Jesus autem perrexit in montem Olivarum.
2. Et diluculo iterum venit in templum, cum eisque populus venit ad eum, & sedens docebat eos.
3. Adducunt autem ad eum scribæ & pharisei mulierem in adulterio deprehensam. Et statuentes eam in medio.
4. Dicunt ei: Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso adulterio.
5. In lege autem Moses præcepit nobis, ut hujusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis?
6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinatus se deorsum, digito scribebat in terra.

7. 65